

CHIARA MARGARITA COZZOLANI  
(1602-c.1677)

Vespri Natalizi / *Christmas Vespers*, 1650

---

CAPPELLA ARTEMISIA

Strumenti d'epoca  
*Historical Instruments*

Voci / *Voices*

ESTER CASTRIOTA (track 4) · FRIDA FORLANI (tr. 12) · ALESSANDRA FIORI (tr. 4, 13)  
GLORIA MORETTI (tr. 12) · ALIDA OLIVA (tr. 4, 7) · REBECCA REESE (tr. 12)  
CANDACE SMITH (tr. 7) · SILVIA TESTONI (tr. 12)

Strumenti/ *Instruments*

LOREDANA GINTOLI, arpa barocca / *baroque harp*  
FRANCESCA TORELLI, tiorba / *theorbo*  
BETTINA HOFFMANN, CLAUDIA PASETTO (tr. 7, 9, 12, 14), viole da gamba  
MIRANDA AURELI, organo e clavicembalo / *organ and harpsichord*

CANDACE SMITH  
direzione / *conductor*

---

Testi / *Texts*

1. Deus in adiutorium meum intende  
Domine ad adiuvandam me festina  
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto  
Sicut erat in principio et nunc et semper  
et in saecula saeculorum Amen.

2. Rex pacificus magnificatus est:  
cuius vultum desiderat universa terra.

3. Dixit Dominus Domino meo:  
Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos  
scabellum pedum tuorum.  
[Gloria Patri. Sicut erat in principio.]  
Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion:  
dominare in medio inimicorum tuorum.  
Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum:  
ex utero ante luciferum genui te.  
[Gloria Filio. Et nunc et semper.]  
Iuravit Dominus et non poenitebit eum:  
Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.  
[Gloria Spiritui Sancto in saecula saeculorum.]  
Dominus a dextris tuis, confregit in die irae suae reges.  
Iudicabit in nationibus, implebit ruinas:  
conquassabit capita in terra multorum.  
De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.  
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto...

4. Quis audivit unquam tale?  
Quis vidit huic simile?  
Obstupesce caelum, admirare terra, suspice orbis universe.  
Deus usque ad carnem descendit,  
Caro usque ad Deum ascendit,  
Verbum caro factum est  
Virgo quem genuit adoravit  
o descensum profundissimum,  
o ascensum sublimissimum.  
Iacet super foenum in praesepio  
qui super tronum gloriae sedet in caelo  
Sociatur brutis animantibus qui colitur ab angelicis choris  
obmutescit in sinu Matris  
qui semper loquitur in gremio Patris  
absconditur in vili stabulo sed proditur radiante sidere.  
Pannis agrestibus involvitur sed a Regibus visitatur.  
Vagitus et lachrimas fundit qui risus est et gaudium Paradisi.  
Proh quanta Maiestas, proh quanta humilitas  
intus Maiestas foris humilitas  
intus potentia foris infantia  
intus Thesauri divinitatis foris pauperies humanitatis.  
O vere partum Deo lumine dignissimum.  
Quis audivit unquam tale?  
Quis vidit huic simile?  
Nos quoque devoti et humiles adoremus cum Pastoribus  
Laudemus cum Angelis, laudemus Regem Salomonem  
in diademate carneo  
quo illum coronavit Mater sua Virgo Maria.

5. Magnificatus est rex pacificus  
super omnes reges universae terrae.

6. Confitebor tibi Domine in toto corde meo; in consilio iustorum, et congregatione.  
Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates eius.  
Confessio et magnificentia opus eius: et iustitia eius manet in saeculum saeculi.  
Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: escam dedit timentibus se.  
Memor erit in saeculum testamenti sui: virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.  
Ut det illis haereditatem gentium: opera manuum eius veritas, et iudicium.  
Fidelia omnia mandata eius: confirmata in saeculum saeculi, facta in veritate et aequitate.  
Redemptionem misit populo suo: mandavit in aeternum testamentum suum.  
Sanctum, et terribile nomen eius:  
initium sapientiae est timor Domini.  
Intellectus bonus omnibus facientibus eum: Laudatio eius manet in saeculum saeculi.  
Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto...

7. O quam bonus es  
 O quam bonus es  
 O quam suavis  
 O quam iucundus mi Iesu.  
 Diligenti, possidenti

Degustanti te.  
 O me felicem, o me beatum.

Hinc pascor a vulnere  
 Quo me vertam nescio.

In vulnere vita  
 in vulnere quies in ubere pax

in vulnere nectar  
 in vulnere iubilus

In vulnere Iesus, in ubere Virgo.

O me felicem, o me beatum, quo me vertam nescio.

Sanguis emundat  
 sanguis me recreat  
 sanguis inebriat.

O vulnere, o sanguis  
 Aurea vulnera.

Sanguis amabile, nectare dulcior  
 manna iucundior.

Te amo, te cupio,  
 te sitio, te bibo.

O me felicem, o me beatum, quo me vertam nescio.

Hoc sanguine pascar  
 in vulnere vivam

O potus, o cibus, o risus, o gaudium.

O felix vita, beata mors.

O quam benigna es  
 O quam dulcis  
 Quam delitiosa o Maria.  
 Suspiranti, degustanti

Hinc lactor ab ubere

In ubere salus

in ubere favum  
 in ubere gaudium

Lac me purificat  
 lac refocillat  
 lac me laetificat.

O ubera, o lac  
 Ubera dulcia.

Lac exoptabile, melle suavius  
 favo nobilium.

Te diligo, te volo,  
 te quaero, te gusto.

Hoc lacte reficiar  
 in ubere moriar.

8. Completi sunt dies Mariae,  
 ut pareret filium suum primogenitum.

9. Beatus vir qui timet Dominum  
in mandatis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius:  
generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiae in domo eius:  
et iustitia eius manet in saeculum saeculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis:  
misericors, et miserator, et iustus.

Iucundus homo qui miseretur et commodat,  
disponet sermones suos in iudicio:  
quia in aeternum non commovebitur.

In memoria aeterna erit iustus:  
ab auditione mala non timebit.

Paratum cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius:  
non commovebitur donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in saeculum saeculi,  
cornu eius exaltabitur in gloria.

Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet:  
desiderium peccatorum peribit.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto...

10. Scitote quia prope est regnum dei:  
amen dico vobis, quia non tardabit.

11. Laudate pueri Dominum: laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum,  
ex hoc nunc et usque in saeculum.

A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus,  
et super caelos gloria eius.

Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in caelo et in terra?  
Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem.

Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum laetantem.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto...

**12. Gloria in altissimis Deo**

[Angeli] Gloria in altissimis Deo.

Et in terra pax hominibus bonae voluntatis.

Agite pastores. Expergiscimini, accurrite, videte adorate.

[Pastori] Quae nova lux? Quae laeta vox?

Quis nuntius alacer?

[Angelus I] Ecce vobis gaudium magnum:

ecce de caelo labitur Deus, nascitur Deus.

Ecce splendor patris, ecce candor lucis aeternae

terras irradiat, homines visitat.

[Pastor I] O beata nox. O lucidae tenebrae.

O dulce, o canorum noctis silentium.

[Angelus II] Vobis edicitur Virginis partus, verbi nativitas.

Vobis indicitur iubilus mentis, cordis iucunditas,

aurea pax, serenitas, tranquillitas, gloria.

[Pastor II] O felices nos, o dicite, cives caelici,

ostendite verbum quod factum est,

reserate misterium, revelate miraculum.

[Angeli] Agite ergo, agite Pastores.

Expergiscimini, accurrite, videte adorate.

[Tutti] Alleluia.

**13. Christe redemptor omnium**

Christe redemptor omnium,

ex patre, patris unice,

solus ante principium

natus ineffabiliter,

Sic praesens testatur dies

currens per anni circulum

quod solus a sede patris

mundi salus adveneris.

Hunc caelum, terra, hunc mare,

hunc omne, quod in eis est,

auctorem adventus tui

laudat exsultans cantico.

Nos quoque qui sancto tuo

redempti sanguine sumus,

ob diem natalis tui

himnum novum concinimus.

Gloria tibi Domine,

qui natus es de virgine,

cum patre et sancto spiritu

in sempiterna saecula.

14. Dum ortus fuerit sol de caelo,  
videbitis Regem regum procedentem a Patre tamquam sponsum de thalamo suo.

15. Magnificat

Magnificat anima mea Dominum: et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.

Et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini eius in saecula.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto...